



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

346. Feria 4. Dominica I. Adventûs. De ineffabili demissionē Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

622 FERIA 4. DOMIN. 1. ADVENTUS.

MEDITATIO CCCXLVI.

FERIA 4. DOMINIC. 1. ADVENTUS.

De ineffabili demissione Dei.

Aspiciam Solem recedentem, & DEVM se exinanientem. Petam agnoscere mysterium, & imitari.

Conf. 1. Quomodo divini Verbi Persona descendendo in naturam humanam se demiserit, gemma in lutum, Sol sub terram, totum in partem, statua aurea vestita sic panno, tabula materiae pretiosissimae receperit coloratam figuram, Deus ad hominem, & ut ait Nazianz. de Nativit. Domini. *Qui est, fit.* Et Chrylost in Joann. Non substantiam vertit in carnem, sed manens, quod est, servi formam assumpsit, vel, ut loquitur S. Augustinus lib. 15. cap. 11. Sicut Verbum nostrum vox fit, nec mutatur in vocem, ita DEI VERBUM Caro factum est, non mutatum in carnem. Vel, ut ait Concil. Ephes. Ut cum sermo induit literas, visibilis fit, & tractabilis, sic Verbum Dei tractabile invenitur. Et factum est quasi lac propter parvulos.

Conf. 2. Quomodo, qui implet caelos imensos in utero materno adeo tenuis erat, ut vix humano visui subijci posset, & qui sedet in supremo throno, contineatur in utero, atque, ut ait Guericus serm. 3. de
Annunt.

Feria 4. Domin. 1. Adventus. 623

Annunt. Verbum aeternum sub silentio se praesentavit. Et David: Psalm. 17. Inclinauit caelos, & descendit. Et Paulus ad Philipp. 2. Semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Ex Fulgentius de Nativit. Dom. Homo Deum contemnens, à Deo discessit, Deus hominem diligens, ad hominem venit inaudito miraculo. Egone, ut aliam sortem quaeram?

Conf. 3. Verba D. Leonis serm. 3. Simus enim humilitati similes, cujus gloria volumus conformes. Humilitas haec fita est in tribus, subijci majori, subijci aequali, subijci inferiori. Humilitas ejus, nostra nobilitas est, ut D. Hilarius in Joann. cap. 13. Petam mihi semper esse praec oculis finem redemptionis, quem explicat Apost. ad Tit. vers. 11.

MEDITATIO CCCXLVII.

Feria 5. Domin. 1. Adventus.

De ineffabili sublevatione hominis.

Aspiciam DEI Naturam se communicantem, ut Sol lucem, ignis calorem, balsamum odorem. Petam fieri ejus particeps.

Conf. 1. Quomodo humanitas fit subleuata, & diuinitati unita modo nostro concipiendi, ut Crystallus Luci, ferrum igni, pasta urinaea liquori valoris infiniti mixta, sicut aurum fit statua, argentum imago argentea, carbo accensus, rubus ardens incombustus,

Iris